

culpæ contraxerit, ita misero cerebrum perturbo, et tantum non ad insaniam redigo. » (Ecce quem ludum dæmon ludit cum eo, qui cum sua tentatione disputans rationes dat et capitque; neque enim dæmoni, quas vocant, instantiæ desunt, neque strophæ, neque ullius generis argumenta.) Prior ergo dæmon: « At ego, inquit, cum meo monacho admodum nihil promoveo: quam primum enim ipsi cogitationem pravam injicio, mox ad Deum aut aliam cogitationem bonam, aut occupationem quampiam honestam, quibus meum semen suffocet, recurrit; unde nullus mihi ad ejus animum patet accessus. » Imprimis vero occupa te cogitationibus mortis, inferni, et passionis Dominicæ. Jonas, exorta tempestate, pro majori securitate descendit ad interiora navis, Jon. I. Tu in tentatione recipe te ad fundum cordis, meditando mortem et infernum. Sic abbas Eliás, apud Joan. Moschum, in prato, capite XIX. tentatus ex aspectu femine religiosæ, raptus in extasin vidit in hiatu terræ cadavera putrida et foetentia omnis generis hominum, monitus a viro gravi ut nunc frueretur sua voluptate, cum quo vellet cadavere, mulieris, viri, pueri. Ille autem præ foetore in terram cecidit; ita de libidine triumphavit. Optime S. Greg. I. XVIII. moral. « Caro, inquit, cum concupiscitur, pensetur quid sit exanimis, intelligetur, quid ametur. » Ita eremita in vitis pp. I. V. n. XXII. tentatus circa feminam, ubi eam mortuam audivit, aperuit ejus sepulcrum, et pallio suo detersit saniem putrefacti cadaveris: mox rediens in eremum, ingruente suggestione mala, foetorem infecti pallii intuitus: *Ecce habes, inquit, quod quærebas; satia te.*

V. Ora et clama ad Deum: « Domine, salva nos perimus. Si enim duo pugnarent, ait S. Thomas, opuse. VII. et velles unum juvare, alterum non, oporteret primo auxilium dare, secundo vero subtrahere. Inter spiritum autem et carnem est prællum continuum; unde oportet quod si vis ut spiritus vincat, des ei auxilium, et hoc fit per orationem: carni vero subtrahas; et hoc fit per jejunium. » Hæc ille. Quid ageres, quæso, si domi tuæ fures nocturno tempore deprehenderes? Nonne clamores excitates et vicinorum opem invocares? Ita certe S. Bernardus, cum ad ejus cubiculum impudica mulier ingressa esset, exclamabat: Latrones, latrones: sicque **territam muliereulam illico fugavit, uti alias di-**

ximus. Quando ergo in corde tuo perversos concupiscentiæ motus exurgere advertis, tunc fures et latrones domum tuam ingressos esse nihil dubita. Quid igitur consilii, nisi ut ad Deum clames, sanctorumque opem invoceas, dicens: **Latrones, latrones mihi ingruunt, Domine, adjuva me?**

VI. Nosse ventos, quinam sint et unde prodeant, hoc enim non parum adjumenti adfert navigantibus in tempestate. Qua de re pulchre sic discurrit P. Corn. a Lapide, in c. I. Jacobi: « Magna pars victoriæ est, nosse id quod suggeritur esse tentationem; si enim scrupulosi, acedia, timidi, melancholici scirent cogitationes, et motus timoris, angoris, tristitiæ, pusillanimitatis, qui eis crebro suggeruntur, esse a scrupulo, acedia, timore, melancholia, illico eos aversarentur et repellerent, at dum metus et anxietas mentem percullunt et obnubilant, id non vident, timentque, ne quid veri dubii, timoris et peccati subsit aut lateat; ideo anguntur et cruciantur. Credant ergo suis confessariis, virisque prudentibus, credant suæ experientiæ, sibi que dicant: Ego laboro nimio metu, angore, scrupulo, hic meus est morbus, hoc meum malum, hoc meum vitium. Crebro ejus motibus exagitor. Hactenus re discussa expertus sum et didici, metus, qui mihi suggeruntur, inanes esse et vanos; in re nihil esse metuendum. Hunc ergo pariter ut inanem et vanum contemniam. Sicut enim hydrophobi, qui metu et melancholia laborant, omnia tuta timent, ne v. g. domus in eos cadat, ne pavementum eis dehiscat, ne tegula decidens feriatur, ideoque eis dicunt medici: Erras, ista tibi suggerit humor melancholicus, domus non gyrat, firma consistit, non cadet, sed tuum cerebrum gyrat, laboras capitis vertigine et mania: ne ergo credas illis suggestionibus, quas tibi tuus timor et mania parit: vides enim cæteros illis non credere, imo ridere, ut vanas et futiles. Ita prorsus accidit scrupulosis et tristibus, qui proinde suis apprehensionibus et angoribus totis viribus resistere debent, ac imitari Christum, qui orans in horto adeo valide timori et horrore mortis restitit, ut ex lucta et contentione sudarit sanguinem, Luc. XXII. ideoque plane horrorem hunc vicit et prostravit. » Si simili conatu timoribus nostris resistemus, utique eos debellaremus.

CONCIO III.

DUODECIM ECCLESIE PERSECUTIONES SUB GENTILIBUS.

I. Sub Nerone. — II. Sub Domitiano. — III. Sub Trajano. — IV. Sub Hadriano. — V. Sub M. Aurelio. — VI. Sub Severo. — VII. Sub Maximino. — VIII. Sub Decio. — IX. Sub Valeriano. — X. Sub Aureliano. — XI. Sub Diocletiano. — XII. Sub Juliano apostata.

THEMA.

Et ecce motus magnus factus est in mari, ita ut navicula operiretur fluctibus. Matth. VIII.

Antequam tempestas in mari oriatur, præcedunt ordinarie certa quædam indicia et præsentia illius: veluti delphini lascivientes tranquillo mari, conchæ adherentes, echini affigentes sese aut arena saburrantes, teste Plinio, l. XVIII. cap. ult. idque ex Dei benigna providentia ut nautæ et navigantes rebus suis consulere possint et periculum evitare, aut saltem animæquius tolerare. Et quid sibi fluctus hodierni et sæva tempestas voluit? Quid præsentia, nisi tempestatem aliam ferociorem futuram in Ecclesia, et fluctus persecutionum, ut iis exurgentibus non conciderent animis, qui in Ecclesiæ navi futuri erant? Hi enim primis trecentis annis Ecclesiæ naviculam sæpius ita obruerunt, ut mergenda non semel videretur. Et videbatur interim dormire Christus et Ecclesiam deserere; sed ad extremum excitatus suorum precibus et calamitatibus, surrexit et imperavit ventis, factaque est subinde serenitas, donec tandem omni sublata persecutione, magna et omnimoda tranquillitas subsecuta est. Et quidem hæc nos fruimur nunc per Dei gratiam, non tamen decet nos ignorare quæ et quanta pericula, quantas calamitates Ecclesia mater nostra in ipso sui exordio passa sit. Hinc enim intelligemus Dei nostri magnalia, qui tam iniquis temporibus tam mirabiliter propagavit fidem nostram et extinxit idololatriam, intelligemus quanto sanguine constiterit ædificium Ecclesiæ, intelligemus quam non sit consilium aut potentia contra Deum, intelligemus quam bono loco et quam quieto tempore navigemus modo nos. Quocirca videamus, quot et quam impetiosi fuerint hi fluctus.

I. Persecutio prima sub Domitio Nerone sexto Rom. imp. fuit. Qui primo, biennio sui imperii videbatur bonus et abhorre a cædibus, ita ut cum ex more super alicujus capite damnati supplicium subscribere deberet, diceret: *Quam vellem nescire litteras!* Sed paulo post totus alius: præter spurcitiâ qua Sporum puerum exsectum in muliebrem naturam transformare conatus et

cum dote ac flammeo per solemne nuptiarum celeberrimo officio ad se deductum pro uxore habuit, (unde cujusdam non insecutus jocus extitit, bene agi cum rebus humanis potuisse, si Domitius pater talem habuisset uxorem) exercuit etiam sævitiam imprimis in domesticis. Matrem enim Agrippinam occidi præcepit, et ad visendum occisæ cadaver accurrit, atrectavit, alia laudavit, alia vituperavit, sitique interim oborta bibit: occidit etiam amitam, Octaviam uxorem calumniis circumventam et relegatam mori præcepit: Poppeam item conjugem ictu calcis occidit; præterea ditissimos et optimos quosque de medio sustulit. Optabat ut, se vivente, terra igni misceretur, id quod modo aliquo procuravit, nam incendit urbem palam et per sex dies septemque noctes ardentem spectavit lætus ipse in turre Mecentiana, illi scenico interim habitu decantans. Quæ ideo recensui ut palam fieret, quisnam et qualis fuerit qui primam in Christianos persecutionem movit. Hoc enim obrusit gentilibus Tertullianus, in apolog. ad senat. p. Rom. « Consulite, inquit, commentarios vestros: illic reperitis primum Neronem in sectam tum maxime Romæ orientem Cæsariano gladio ferocissime. Sed tali dedicatore damnationis nostræ etiam gloria-mur: qui enim scit illum, intelligere potest, non nisi aliquod bonum grande a Nerone damnatum. » Sic ille. Ex illo vero suo incendio præterxit et sumpsit causam persequendi Christianos, quasi ipsi incendium id excitassent, cum tamen ipse certissimus ejus auctor foret, ut testatur Suetonius. Sed ut opinionem immissi incendii et invidiam in se conflata amoveret, Christianos subdidit reos, inquit Tacitus, lib. XV. eosque exquisitissimis affectis suppliciis, ita ut ferarum coriis insutos canibus objiceret, aut crucibus affigeret, aut in usum nocturni luminis combureret. Occidit autem principes apostolorum, Petrum cruce, Paulum gladio. Ipse tandem crebris defectionibus conterritus et a senatu hostis judicatus et profugus a palatio, cum odiosus omnibus quæri se ad necem sciret, seipsum transfigendo sibi ipsi mortem attulit, juvante Sporo, dicens: *Dedecore vixi, turpius peream*, Sueton. Eutrop. Ecce igitur, Christus surgens imperavit mari et ventis, et facta est tranquillitas magna sub quinque sequentibus imperatoribus, Galba scilicet, Othone, Vitellio, Vespasiano et Tito.

II. Secunda fuit sub Domitiano duodecimo imp. qui imprimis fratrem Titum imperatorem veneno sustulit, uti fama erat. Postea in Christianos, qui prius certis horis muscas capere et configere acutis stylis solebat, sævire cepit. Joannem evangelistam in ferventis olei dolium

conjecit, nihilque inde passum in Patmos insulam relegavit; Cletum papam religionis causa interfecit; Antipam Pergami martyrem fecit, etc. Tandem ingenti superbia, qua Dominum et Deum se nominari jusserat, elatus et omnibus invisus ob crudelitatem suam, a Flavie Domitillae relegate procuratore Stephano interficitur et a vespillonibus cadaver ejus tamquam gladiatoris effertur contumeliose, Suet. Dio. et Philostr. Cujus morte adeo lætatus est senatus, ut mortui statuas et arcus everteret, imagines et clypeos detraheret, et ad terram allideret, titulos item et memoriam ejus omnem undique eraderet. Atque ita rursus pax Ecclesie facta est sub Nerva, qui edicto vetuit, ne quem liceret impietatis, id est, sectae Christianorum accusare, quos etiam exules revocavit.

III. Tertia sub Trajano quarto et decimo imp. qui Clementem papam diis immolare nolentem relegavit in Pontum cum aliis plurimis Christianis; Simeonem fratrem Domini dictum filium Cleophae in crucem egit 120. annos habentem; S. Ignatium episcopum Antiochen. leonibus objecit; Onesimum Pauli discipulum, Ephesiorum episcopum, lapidibus obruit, etc. Lustrans exercitum, inventos undecies mille Christianos diis immolare nolentes in Armeniam relegavit. Quinque item virgines christianas igne cremavit, ex quarum cineribus aeri admixtis aenea vasa fieri mandavit et publico lavaero dedicavit. Verum Deo ulscente quicumque aquas illas attingebant, caligine et vertigine correpti inde procurrebant concidebantque, quo cognito, Trajanus ea rursus conflare in statuas et imagines quinque illarum virginum jussit, et pro balneo collocari. Plinio Bithyniae praefecto Christianos purganti, quod nimirum Christiani nihil contra leges agerent, solummodo surgerent ante lucem, Christum tamquam Deum laudarent, disciplinae et honestatis amantes, a vitis vehementer abhorrerent; ad has, inquam, Plinii litteras, rescribit eos quidem non inquirendos, sed oblatos tamen puniendos. Tiberiano item Palaestinae praesidi scribenti, se non parem esse Christianis occidendis, qui ultro supplicia appetere, mandavit, uti et omnibus praefectis suis ne eos suppliciis afficerent, ut refert Suidas. Occubuit tandem apud Seluntem sive morbo, sive veneno, ut refert Dio Cass. Ultimo ejus anno passus Phocas martyr damnationem et post triduum mortem ei praedixit, uti et contigit, ut refertur in fasciculo temp. « Trajane, inquit, perge ad ulterioris abyssi loca, et ad praeparata tibi tormenta festina, ubi nocte perpetua et saevo exurendus es incendio. Triduo hac in luce versaberis; quo

emenso, caligo te mortis excipiet: nec enim inultus innocentium sanguis diutius esse potest. »

IV. Quarta sub Hadriano quinto et decimo imp. qui tumultuantes Jerosolymis Judaeos omnino evertit et ejecit, ita ut pedem amplius in eam urbem referre non auderet: et juxta praedictionem Isa. cap. XXXIII. *Terram a longe cernerent.* Postea arma in Christianos vertit, quoniam a Judaeis prognatos existimabat. Atque ut antecessorem Trajanum in omnibus aemularetur, dirissime saevit in illos, ita ut ad fidelium damnationem nulla judicii dispositio servaretur, sed Christiani a quocumque delati statim absque ulla alia inquisitione ad caedem raperentur. Id quod aegre ferens Serenius Granianus, unus ex imperatoris praesidibus, ad imperatorem scripsit: Iniquissimum esse, clamoribus vulgi innocentissimum hominum sanguinem concedi et sine ullo crimine, nominis tantum et sectae reos fieri. Quibus commotus Hadrianus, Minutio Fundano ejus decessori, proconsuli Asiae scripsit, sine objectu criminum Christianos non condemnandos, ut refert Euseb. Caesar. in chron. Inter alios S. Dionysius sub eo martyr factus est, secundum Bedam et Adon. Item Eustachius, alio nomine Placidus cum uxore Theotista et filiis leonibus objectus, et cum nihil laederetur, bovi aeneo inclusus subiit martyrium. Item Evaristus papa, Faustinus et Jovita, Alexander papa cum sociis, qui majorem senatorum urbis partem converterat ad fidem, Symphorosa cum septem filiis, etc. Tandem ipse in Tiburtina villa profluvio sanguinis pene ad exitum venit, mox phthisi et aqua intereunte laborans taedio vitae mortem expectens nec inveniens, qui eam sibi inferret, sive medicum sive domesticum, media sibi vitam finiit, non tam quod Servianum virum bonum occiderit, ut Dio. et Spart. referunt, quam ob ingentem Christianorum carnificinam. Respiravit postea Ecclesia sub Antonino Pio per annos 24.

V. Quinta sub M. Aurelio Antonino Vero decimo et septimo imp. anno Domini 140. cum quo simul regnabat Lucius Aurelius Verus. Imprimis M. Aurelii proconsules passim in Christianos saeviebant idque ex veteri magis, quam Marci edicto, quo omnis peregrina religio vetabatur. Postea etiam ipse legem tulit ut omnes diis sacrificarent, qui vero recusarent, damnarentur, et quidem acerbissimis cruciatibus torquerentur, uti scripsit ad praesidem Galliarum, apud Euseb. l. IV. cap. I. Inter alios sub eo passus est S. Polycarpus, episcopus Smyrnae, discipulus S. Joannis, S. Justinus martyr, S. Felicitas cum septem filiis, Gervasius et Protasius,

sus, tempore belli Marcomannici quod deorum sacerdotes dicerent, vinci non posse, nisi his sublatis. Tandem cum ope et oratione Christianorum adversus Marcomannos victoriam divinitus obtinisset, obtenta per eos exercitui suo aquis destituto pluvia, in hostilem vero grandine mixta fulminibus, eo miraculo commotus persecutionem inhibuit; imo omnem, qui Christianum religionis causa accusasset, vivum exuri praecipit; ut testantur ejus litterae ea de re ad senatum missae apud Justin. in fine apolog. II. pro Christ. Ubi inter alia habet: « Jam nunc igitur permittimus esse Christianos hujusmodi hominibus: ne forte contra nos tale quodpiam telum postulando impetrent, etc. » Quia tamen in perfidia sua persistit, tandem et ipse male perit in Pannonia, voluntaria scilicet cibi abstinentia. *Fertur autem, inquit, Julius Capitolinus, illum mori voluisse, cum filium talem videret futurum, qualis extitit.* Sed divino plane judicio permittum est, ut in punitionem tanti effusi sanguinis christiani, filius ejus nequissimus et crudelissimus urbem, senatum, cives, principes, praefectos immanissime trucidaret, nulla interim Christianis illata molestia, ut est apud Baron. anno 182. Atque ita rursus Christus praecipit ventis et mari: dum sub Commodo imp. pax Ecclesiae reddita, et fides mire propagata est per annos 13. et amplius.

VI. Sexta sub Septimo Severo vigesimo et primo imp. qui levissima causa occasionem sumpsit persequendi Christianos. Cum enim ipse ex Galliae urbem ovans ingrederetur et publica laetitiae signa ederet, quae soli Christiani, utpote christianae modestiae contraria, praetermitterebant et miles etiam quidam christianus coronam inter caeteros milites coronatos, quasi non liceret in capite gestare ob Christi reverentiam, manu gestaret; idcirco Christiani in odium vocati et miles in vincula coniectus est, indeque gravissima Christianorum persecutio coepit. De quo Tertullianus, in apolog. cap. XXXV. scribit: « Propterea igitur publici hostes Christiani, quia imperatoribus neque vanos, neque mentientes, neque temerarios honores dicant, quia verae religionis homines etiam solemnia eorum potius conscientia, quam lascivia celebrant. Grande videlicet officium, focus et thorus in publicum educere, vitatim epulari, civitatem tabernae habitu abolefacere, vino lutum cogere, catervatim cursitare ad injurias, ad impudentias, ad libinis illecebras: siccine exprimitur publicum gaudium per publicum dedecus? » Sic ille, qui de persecutione illo eodem libro scribit: « Crucibus et stipitibus imponitis Christianos, undique

unguibus deraditis latera Christianorum; cervices ponimus ante plumbum et plutinum et gomphos, ad bestias impellimur, ignibus urimur, in metalla damnamur, in insulas relegamur. » Et quia Christiani communiter ad stipites alligati cremabantur, inde Sexamii et Sarmentitii vocabantur. Hic excogitata a Christianis redemptio vexationis per pecuniarum solutionem: adeoque gravis erat persecutio, ut aliqui existimarent, tunc antichristi adventum appropinquare, apud Eusebium lib. VI. Passi tunc Victor papa, Leonides Origenis pater, multique ejus discipuli Grenaeus, Perpetua et Felicitas, etc. Sed interim augebatur magis Christianorum numerus, uti testatur Tertullianus, qui sub hoc imperatore Romae vixit: *Plures effecimus, quoties metimur a vobis, inquit in apolog. capite ultimo, semen est sanguis Christianorum.* Severus tandem non tam corporis morbo, quam animi morere confectus, quod sciret filium Antoninum necem sibi machinari et saepius attentasse, obiit Eboraci in Britannia: cujus medicos interfecit Antoninus succedens et domesticos ejus, quod patrem tantum diu vivere permisissent, ut auctor est Herodianus. Hinc rursus cessatum a persecutione per annos 23. saltem publica et solemniter. Imprimis autem favit Christianis Alexander imperator et Christo tamquam Deo qualemcumque cultum exhibuit, una tamen cum diis suis: instituta etiam Christianorum imitatus est in ordinandis sacerdotibus et magistratibus designandis. Habuit tamen is jurisconsultos Christianis infensos, praesertim Ulpianum, quorum opera multi circumventi, martyres facti sunt, inter quos est Caecilia virgo, cum sponso Valeriano et fratre ejus Tiburtio.

VII. Septima sub Maximino vigesimo et sexto imperatore, qui propter invidiam erga familiam Alexandri Severi imperatoris praedecessoris sui, in qua sciebat multos Christianos fuisse, persecutionem in eos movit. Imprimis vero contra Ecclesiarum praesides, in quibus Pontianus et Antherus Romani antistites martyrio affecti sunt. Sed quoniam etiam in gentiles sine delectu crudeliter saeviebat, crimina fingebat, innocentes occidebat, damnabat omnes et crudelissime necabat, ideo senatus Romanus vota in templis publicae privatimque, mulieres etiam cum liberis suis faciebant, ne is unquam urbem Romanam videret. Deinde senatus ab eo defecit, et milites pertaesi ejus saevitiae, e Germania in Italiam eum venientem, et Aquileiam frustra oppugnantem obtruncant, simulque filium ejus adolescentem pulcherrimum, conclamantibus cunctis ex pessimo genere nec catulum quidem habendum. Cujus fortunae nuntius de Aquileia

quadriduo Romam avolavit mutatis equis. Eorum capita contis præfixa, Aquileiensibus demonstrarunt et Romam etiam miserunt; ubi ingenti concursu, omnium lætitia et applausu visa et excepta sunt: amici etiam illius omnes occisi et in cloacas missi, Victor, Jul. Capitolinus et alii. Porro non amplius quam tribus annis duravit illius persecutio; postea per duodecim annos sub Gordiano et Philippo reddita pax Ecclesiæ est. Fuit hic Philippus primus imperator Christianus, christiana religione quarto imperii sui anno initiatus, qui erat millesimus ab urbe condita, Baronius anno 249. sub eo longe lateque propagata est fidei prædicatio, obsolescente interim gentilium superstitione.

VIII. Octava sub Decio trigesimo et secundo imperatore qui quoniam Philippo (imperator christiano prædecessori) erat infensus, persecutionem adversus Ecclesiam excitavit, inquit Eusebius, libro histor. eccles. capite XXXIX. Et quia sub Philippo longe lateque propagata fides fuit, languescere in dies gentili superstitione, ex hoc Decius ira et invidia incitatus, putans divinum consilium humana vi posse eludi, indixit omnium atrocissimam persecutionem, Gregorius Nyss. in vita Thaumaturgi. In ea prædicationem illam Domini, nimirum clectos si possibile foret, ni errorem inducendos, propemodum completam esse scribit Dionysius Alexandrinus ad Fabium Antioch. qui nimirum: *Hostis callidus*, ut ait Sanctus Hieronymus, in vita Pauli eremitæ, *tarda ad mortem supplicia conquirens, animas cupiebat jugulare, non corpora*. Certe Origenes prius tam cupidus martyrii, cum in abusum corporis ejus Æthiops subornaretur, sacrificare maluit, Epiphanes, hæres. LXIV. Multi tormentorum exquisitissimorum gravitate et diuturnitate a fide abrepti vel diis immolarunt (qui sacrificati et thurificati appellabantur) vel saltem Christum negaverunt, redimentes oblationem pecunia (qui libellati dicebantur, quod securitatis libellum a magistratu acceperunt.) Sed teste Cypriano, libro de lapsis, qui tunc vixit et scripsit, illos tantum persecutio prostravit, quos antea deliciæ et concupiscentiæ subjugassent, et quorum inquinatio erat vita, eorum turpior erat lapsus; quod etiam prævidit idem Cyprianus ex Christianorum moribus longa pace corruptis, epistola VII. Sub ea persecutione variis orbis partibus passi sunt innumeri; dispersi alii in solitudines se receperunt, ut Gregorius Thaumaturgus; Paulus primus eremita; septem dormientes, qui in antro ab insidiatoribus conclusi ibidem in Domino obdormierunt; Fabianus papa martyrio coronatus; clerici Romani aut incarce-

rati, aut fuga elapsi, ita ut per annum et amplius eligi papa non potuerit. Sed Deo non ferente tam crudelem tyrannidem, Decius secundo imperii anno per tres menses inchoato, cum contra Gothos, cum filio, quem jam Cæsarem appellaverat, profectus esset, in collocatas ab hostibus insidias incidens, suis difficillime præliantibus, ut refert Sextus Aurelius, inter confusas turbas in gurgitem palustrem impellens equum, submersus perit, ita ut nec cadaver ejus potuerit inveniri; filius vero in prælio fuit occisus. Ob eam etiam persecutionem tanta clades illata est Romanis, ut tunc primum Seythis tributarii facti sint: ut auctor est Pomp. Lætus in Gallo. Tunc prodire iterum Christiani latentes, uti et Cyprianus, qui tunc commentarium de lapsis scripsit, in cujus exordio ait: « Pax ecce, dilectissimi fratres, Ecclesiæ reddita est. Dandæ laudes Deo, etc. » Et tunc lapsi glomeratim ad Ecclesiam redeuntes, instabant ut reciperentur, sub Gallo scilicet et Volusiano imp.

IX. Nona sub Valeriano trigesimo et secundo imper. « Qui quidem initio imperii sui, (ut ait apud Euseb. lib. VII. cap. IX. Dionysius Alexand. in epis. ad Hermammonem, quam familiarissime et amicissime atque in oculis omnium eosdem (Christianos scilicet) excepit et tota domus ejus piis hominibus complebatur, eratque plane Dei ecclesia. Verum doctor quidam et princeps magorum Ægypti illum tandem perditio consilio depravavit et non impulit solum, ut homines culpa vacuos ac sanctos Dei, utpote scelestorum ac execrabilium incantamentorum adversarios et oppugnatores (satis namque virum ac potentiae præsentia, aspectu, spiritu et voce solum ad detestabilium dæmonum insidias dissipandas et habent et semper habuerunt) acerbè persequeretur, necique traderet, verum etiam ut impuras cæremônias obiret, profana exerecet præstigia, execranda mysteria exereceret, mactaret pueros misellos, prolem infelicium parentum sacrificaret, etc. » Hæc Dionysius, apud Euseb. In ea persecutione passi sunt Stephanus papa, Xystus papa, Sanctus Laurentius, Cyprianus et alii, uti trecenti illi martyres, qui se ultro in fornacem calcariam accensam conjicere maluerunt, quam thus Jovi incendere; idcirco massa candida dicti. Postquam ergo per annos tres cum dimidio sævisset bellum gerens in Mesopotamia cum Sapore Persarum rege, captus venit in ditionem Saporis, qui quamdiu vixit, eo per annos octo pro suppedaneo usus est, quoties equum ascendit; nec dimittere eum voluit, licet a multis amicis regibus sollicitatus, sed ad extremum eum excoriatum, sale condiri jussit, septuagenario

majorem, ut testatur Constantinus Magnus, in orat. ad sanct. cætum, cap. XXIV. Gallienus vero ejus filius de patris liberatione minime sollicitus, ejus edicta contra Christianos rescidit, persecutionem inhibuit, aliaque in eorum favorem vulgavit atque ita rursus facta est tranquillitas in Ecclesia sub Gallieno et Claudio.

X. Decima sub Aureliano trigesimo et septimo imper. qui initio, majorum consiliis impulsus persecutionem in Christianos et decretum contra eos subscribere volens, divinitus impeditus est, debilitato subito et enervato ejus brachio. Sed quamvis tunc ab incepto destiterit, paulo post tamen persequi Christianos cepit et inter alios Felicem papam, Agapitum 15. annorum puerum et alios plurimos sustulit. Qui tamen quadrienno post cum inter Byzantium et Heracleam iter faceret, denso agmine stipatus, casu fulminis consternatus, paulo post a suis occisus est, Vopiscus et Eusebius, in chron. Ejus impio sanguine impletas curruum vias, ait Constantinus, in orat. ad ss. cætum. Cujus successor Tacitus jussit cessare persecutionem per omnes provincias. Et reddita est pax Ecclesiæ per annos multos.

XI. Undecima sub Diocletiano et Maximiano Herculeo imp. quadragesimo et secundo qui omnium acerbissimam persecutionem moverunt, exquisitissimis tormentis innumerabiles efficiendo martyres, neenon conquirendo et comburendo Christianorum libros, cælo ipso repugnante. Cum enim eos sacrilegus magistratus in ignem injiceret, subito imber sereno cælo diffusus ignem extinxit et grandio regionem gentium pro Christianis pugnando vastavit, quod contigit in Alurinesi colonia Africæ, apud Baron. anno 303. Tandem ambo, illo eodem die et anno, imperio se abdicarunt Diocletianus Nicomedie, Maximianus Mediolani, et privatam vitam amplexi sunt præ animi mœrore videlicet et desperatione, quod christianum nomen se extinguere non posse viderent, adeoque ex divina ultione, ut affirmat Constantinus imp. in orat. ad ss. cæt. cap. XXV. quantumvis de christianorum nomine delecto inania per orbem trophæa erexissent: cum contra re christiana magis efflorescente, ipsorum acta viginti annorum pene omnia perierint, deperditis historiis de eorum rebus gestis, idque justissime, quod in sacros Christianorum codices adeo sævierint. Quanti martyres sub Diocletiano fuerint ex eo cognosci potest, quod uno mense decem et septem millia cæsa sunt, ut est in libro de Rom. pontific. in Marcellino papa. De ea persecutione Severus, l. II. ait: « Hac tempestate omnis fere sacro martyrum cruore orbis infectus est, quippe certatim

gloriosa in certamina ruebatur, multoque avidius tum martyria gloriosa mortibus quærebantur quam nunc episcopatus ambitionibus appetuntur. Nullis unquam magis bellis mundus exhaustus est, neque majore unquam triumpho vicinus, quam cum decem annorum stragibus vinci non potuimus. » Sic ille. Sub iis vulgatum edictum fuisse, ut cuilibet volenti liceret impune Christianum occidere, colligitur ex actis S. Anysie, apud Sur. 30. decemb. Item carceres omnes ita Christianis implebantur, ut non esset locus facinorosis, Baron. auctore. Ad hæc carnifices jugulabantur aliis atque aliis succedentibus toto die ad jugulandum: acies gladiatorum hebentabantur, uti se vidisse scribit Eusebius, l. VIII. c. IX. Sub iis passi S. Sebastianus, Cosmas et Damianus, Caius papa, Mauritius tribunus cum tota legione sua Thebæorum, Romanus, Marcellinus papa, Januarius, Vincentius, Agnes. Postea Galerius Maximianus Cæsar instauravit rursus persecutionem Augusti nomine sumpto, qui tandem divinitus percussus acerbissimo et horribili morbo, putrescente femore ejus et vermibus scatenti, agnoscens id sibi evenire ob suam immanitatem in Christianos, relaxavit eam et Christianis liberum religionis suæ concessit usum, et ut Deo suo pro sua et reipublicæ salute supplicarent, monuit, Euseb. lib. VIII. cap. XXVIII. et XXIX. instar Antiochi videlicet illius impii, l. Macchabæorum VI. Maximianus vero Hercules eum imperium iterum affectaret et ob id Constantino Magno jam tum imperatori, insidias strueret, ab eo Massiliæ inclusus, de salute desperans, laqueo sibi vitam eripuit: aut, ut alii volunt, strangulatus a Constantino est, cum paulo ante necem ei prædixisset Victor jussu Maximiani ob Christi confessionem plectendus, qui militibus dicebat: *Dicite Maximiano imp. hoc anno illum abiturum e vita*, ut in ejus actis apud Sur. 8. maii. Diocletianus vero divino haud dubie judicio ad id tempus (videlicet undecimum Constantini M. imp. annum ubi res christiana sub imp. catholico mirabiliter exaltata est, gentilitas vero depressa) reservatus, quo Christianorum religionem quam omni mole extinguere conabatur, florentissimam videret et tabesceret, eo anno miserabiliter obiit, per formidinem scilicet voluntariam, ut ait Victor apud Baron. anno 316. cum suspectans necem dedecorosam a Constantino sibi afferendam, venenum hausit. Quinetiam Maxentium Maximiani Herculei generum, item in Christianos Romæ sævientem et qui inter alia Marcellum papam ad equorum puerorum ministerium damnavit, Romam cum exercitu venientem contra se idem Constantinus primo as-